



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De quotidiano sui ipsius examine, 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

## CAPVT V.

*De quotidiano sui ipsius examine.*

1. **I**ntegritatis tuæ curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, quantum deficias; qualis sis in moribus, & qualis in affectibus; quam similis sis Deo, vel quam dissimilis; quam prope, vel quam longe, non locorum intervallis, sed morum affectibus. Stude cognoscere te; quia multo melior & laudabilior es, si te cognoscis, quam si te neglecto cognosceres cursum siderum, vires herbarum, complexionem hominum, naturas animalium; & haberes omnium caelestium & terrestrium scientiam. Redde ergo te tibi: & si non semper vel saepe, saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. In te nihil remaneat indisciplinatum: pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te tanquam ante alium, & sic temetipsum plange. Plora iniquitates & peccata, quibus Deum offendisti: indica ei miseras tuas, ostende illi malitiam adversariorum tuorum. Cumque coram eo in lachrymis te maceraveris, precor te, ut memor sis mei.

2. Ego enim ex quo cognovi te, in Christo diligo te; & illuc mentionem tui deferro, ubi & illicita cogitatio supplicium, & honesta promeretur Præmium. Ad altare namque Dei cum peccator sto, sed sacerdos, tui me comitatur memoria. Tu vero mihi vicem

reddes, si me amaveris, & orationum tuarum participem feceris. Ibi recordatione tecum esse præsens desidero, ubi pro te, & tuis familiaribus, devotas preces coram Deo fundis. Nec mireris, si dixi, præsens: quoniam, si me amas, & ideo amas quia imago Dei sum, ita tibi præsens sum, ut tu ipse tibi. Quicquid enim tu es substantialiter, hoc ego sum. Imago enim Dei est omnis anima rationalis. Proinde, qui in se imaginem Dei quærit, tam proximum quam se quærit. Et qui illam in se quærendo invenerit, in omni homine eam cognoscit. Visio enim animæ intellectus est. Si ergo te vides, me vides, qui nihil aliud sum, quam tu. Et si Deum diligis, me imaginem Dei diligis; & ego Deum diligendo, diligo te. Et ita dum unum quærimus, & ad unum tendimus, semper invicem præsentem sumus, sed in Deo, in quo nos diligimus.

## CAPUT VI.

*De attentione Orationis tempore habenda.*

I. **C**VM ad adorandum sive ad psallendum Ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliviscere, ut soli Deo possis vacare. Fieri enim non potest, ut aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi: audi illum loquentem tibi, ut ipse exaudiat te loquentem sibi. Ita fiet, si divinis laudibus solvendis, debita reverentia & sollicitudine assistas,